

namque allegoriæ fructus suaviter carpitur, cum prius per historiam in veritatis radice solidatur. »

Quinta regula. Omnes allegoricæ interpretationes a scriptoribus sacris propositæ, omnino acceptari debent, et absque temeritate rejici non possunt allegoricæ explicaciones in Ecclesia receptæ, aut a Patribus propositæ tamquam ad Ecclesiæ traditionem pertinentes. Allegoriæ vero debent esse naturales, non vero coactæ.

Sexta regula. Semper standum est interpretationi quæ magis consonat textui Vulgateæ, quam solam authenticam declaravit Ecclesia, quamquam ex aliis versionibus loca obscura sæpe elucidari valeant et etiam debeant.

Aliæ regulæ a pluribus traditæ, in præcedentes recidunt.]

### DISSERTATIO III DE TRADITIONIBUS

#### ARTICULUS I

*Quid, quotuplex sit traditio, et quantæ autoritatis?*

Traditio, ut sic, est doctrina ab uno alteri scripto vel voce communicata. Unde Apostolus, II Thessal., II, 14 : *Tenete, inquit, traditiones quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam.* Specifice autem sumpta, prout distinguitur a Scriptura, est doctrina ab uno alteri viva voce communicata, et de illa hic agitur quatenus spectat fidem et mores fidelium. Unde

Dico 1º : Traditio definiri potest : « Doctrina ad fidem et mores christianos pertinens, viva voce a suo authore communicata. » Dicitur, « a suo authore, » quia non obstat traditioni, si semel a suo authore sola voce communicata, postea ab aliis scripto mandetur. Hujusmodi sunt baptismus parvolorum, perpetua virginitas B. Mariæ, jejunium

quadragesimale, celebratio festorum Paschæ et Pentecostes, et plura alia.

Dico 2º : Traditio ex parte originis dividitur in divinam, apostolicam et ecclesiasticam. Divina est quæ a Deo Patriarchis, vel a Christo discipulis, vel ab ipsis Apostolis, Spiritu sancto dictante, viva voce ad posteros communica ta est. Apostolica est quam Apostoli auctoritate apostolica, tamquam Ecclesiæ præfeti, instituerunt. Ecclesiastica est quam concilia, aut summi Pontifices, aut SS. Patres introduxerunt.

[Ratione materiæ, traditio dividitur in dogmaticam et moralem seu ritualem. Prior versatur circa dogmata, ut Patrem esse ingenitum, esse quatuor Evangelia et septem sacramenta, etc. Posterior spectat mores, ut observandum esse jejunium quadragesimale, celebrandum festum Paschæ, etc.

Ratione temporis, dividitur in temporalem, quæ ad tempus tantum fuit instituta, ut est abstinentia a sanguine et suffocato, trina immersio in baptismō; et in perpetuam, quæ instituta est ut perpetuo duratura, sicut baptismus parvolorum, validitas baptismi ab haereticis collati.

Ratione modi quo propagatur traditio, dividitur in scriptam, oralem et practicam; potest enim aliqua doctrina vel scripto ad alios transmitti, vel ore propagari, vel ipsa a patribus in filios derivari.]

Dico 3º : Traditio divina est infallibilis auctoritatis et fidei regula : quia est verbum Dei, non minus quam Scriptura sacra; Scriptura sacra autem non est infallibilis auctoritatis et fidei regula quia est scripta, sed quia est verbum Dei. Unde Trid., sess. IV, cap. 1, declarat se « pari affectu et reverentia suscipere ac venerari traditiones divinas, ac Scripturam sacram. » Ex quo colliges, ex traditione divina firmum et efficax posse formari argumentum, sicut ex Scriptura divina.

[Idem docetur a concilio Vaticano, constit. *Dei Filius*, cap. 2, de *Revelatione*: « Hæc supernaturalis revelatio, secundum universalis Ecclesiæ fidem a sancta Tridentina synodo declaratam, continetur in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab Apostolis Spiritu sancto dictante, quasi per manus traditæ, ad nos usque pervenerunt.]

Traditio apostolica tanta est authoritatis quantæ sunt decreta apostolica. Traditionis vero ecclesiasticæ ea est authoritas, quæ est legum ecclesiasticarum. Unde traditiones apostolicæ et ecclesiasticæ patiuntur dispensationem, derogationem et abrogationem.

*Petes* quæ sit regula dignoscendi traditionem in communi, deinde dignoscendi esse divinam.

*Resp. 1º.* Regula dignoscendi traditionem in communi, ea est quam statuit Aug. lib. IV *de Baptismo contra Donat.*, c. 24, n. 31: « Quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum est, sed semper retentum, non nisi apostolica autoritate traditum certissime creditur. »

[Non omittendus est locus notissimus ubi eamdem regulam luculentissime expressit Vincentius Lirinensis, *Commonit.*, c. 2 et 3: « In ipsa catholica Ecclesia magnopere curandum est, ut id teneamus quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. Sed hoc ita demum sit, si sequamur universitatem, antiquitatem, consensionem. Sequemur autem universitatem hoc modo, si hanc unam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia; antiquitatem vero ita, si ab his sensibus nullatenus recedamus, quos sanctos majores ac patres nostros celebrasse manifestum est; consensionem quoque itidem, si in ipsa vetustate omnium vel certe pene omnium sacerdotum, pariter et magistrorum, definitiones sententiasque sectemur. »]

*Resp. 2º:* Regula dignoscendi traditionem divinam, prout ab apostolica distinguitur, est: Si Ecclesia tenet ali-

quid tamquam de fide, aut aliquid quod non nisi a Deo potest institui esse servandum, est traditio divina nobis per Apostolos transmissa. Ratio est, quia Ecclesia errare non potest. Ergo quod dicit esse de fide, aut esse servandum, ita est. — Subsumo. Atqui nihil est de fide, nisi sit a Deo immediate traditum; neque id quod a solo Deo potest institui, vere dicitur servandum, si a Deo non sit institutum. Ergo. Sic sunt traditionis divinæ, baptismus parvulorum, validitas baptismi hæreticorum, perpetua virginitas B. Mariæ, tria sacramenta, Baptismum, Confirmationem et Ordinem esse initerabilia, etc.

Dixi: « Per Apostolos nobis transmissa; » quia Ecclesia post tempora Apostolorum non habet novas revelationes, sed omnia fide tenenda revelata sunt Apostolis a Deo, sive per Christum loquentem, sive per Spiritum sanctum dictantem et docentem omnia, juxta promissiones ipsis factas a Christo, *Joann.*, xiv et xvi. Quando ergo Ecclesia definit aliquid a Deo traditum et fide divina erendum, non condit novum articulum fidei; id enim jam erat de fide, etsi non explicita, Apostolis revelatum: sed declarat quod id quod non noscebatur esse fidei, ita nunc esse habendum, ut jam alibi observavimus.

Altera regula dignoscendi traditionem divinam, est: Quando Patres priorum sæculorum tenent unanimiter, tamquam de fide, aliquid non scriptum, et oppositum damnant ut hæreticum, est traditio divina.

Quæstio nunc potissimum est de traditionibus divinis, quas non esse admittendas contendunt hodierni hæretici.

## ARTICULUS II

*Utrum traditiones divinæ sint necessario admittendæ?*

Dico: Praeter Scripturam sacram, necessario sunt admittendæ traditiones divinæ.

*Prob. 1º* ex *Scriptura. Apost.*, II *Thessal.*, II, 14, dicit: *State et tenete traditiones quas didicistis sive per sermo-*

*nem. sive per epistolam*, id est sive voce, sive scripto. Et loquitur de traditionibus divinis et ad fidem pertinentibus, quia hortatur ibi Thessalonicenses, ut permaneant in fide.

[Evangelia indigitant necessitatem traditionis. De Christo dicitur, *Marc.*, vi, 34, quod *cœpit illos docere multa*, quin unicum hujus copiosæ doctrinæ caput recenseretur. *Luc.*, xxiv, 27, discipulis euntibus in Emmaus, *incipiens a Moyse et omnibus prophetis, interpretabatur in omnibus Scripturis quæ de ipso erant*. Nihil autem de divina hac expositione in Scriptura fuit consignatum. S. Joannes, qui omnibus Evangelistis et sacris scriptoribus supervixit et eorum scripta perlegere potuit, dicit, *Joann.*, xxi, 25 : *Sunt et alia multa quæ fecit Jesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos qui scribendi sunt libros*. Atqui multa quæ sic docuit Jesus, nec ab authoribus sacris fuerunt scripta, perire non debuerunt, siquidem ad constitutionem Ecclesiæ, eruditionem hominum et sanctificationem animarum erant necessaria. Ergo, repudiata traditione, rejicitur divinæ revelationis medium necessarium, et quidem perfectum, sine quo integra fides christiana haberri non potest.

Et ipsi Apostoli non omnia quæ a Christo acceperant scripserunt. In loco supra allato, Paulus doctrinam per sermonem, id est per traditionem oralem sparsam, doctrinæ per epistolam suam traditæ æquiparat. *Ad Galat.*, i, 6, dicit : *Laudo vos, fratres, quod per omnia mei memores estis, et sicut tradidi vobis precepta mea tenetis*. S. Joannes Christianos non remittit exclusive ad Evangelia, nec ad scripta propria et aliorum Apostolorum, sed traditionem ut normam salutis maxime inculcat, *I Joann.*, ii, 24 : *Vos quod audistis ab initio, in vobis permaneat. Si in vobis permanserit ab initio, et vos in Filio et Patre manebitis*. Quam necesse est manere in Patre et Filio, tam necesse est etiam manere in eo quod auditum est ab initio et per traditionem ad alios fuit transmissum. Addit quoque, *ibid.*, 18,

22, eos qui non ita manent, antichristos esse. — Plura sunt alia quæ afferri possent.

*Prob. 2º ex Patribus*. Qualem habuerint autoritatem traditiones post completum Scripturarum canonem, abundantissime demonstratur ex testimoniis Patrum, quorum quedam tantum notare satis erit. S. Irenæus, lib. III *contra Hær.*, c. 2, conqueritur haereticos hujus ævi, sicut et novatores recentiores, neque Scripturis neque traditioni consentire : « Cum enim, inquit, ex Scripturis arguantur, in accusationem convertuntur ipsarum Scripturarum, quasi non recte habeant. Cum autem ad eam iterum traditionem quæ est ab Apostolis, quæ per successionem presbyterorum in ecclesiæ custoditur, provocamus eos, adversantur traditioni. » Clemens Alex., lib. VII *Strom.*, c. 16 : « Quemadmodum si quis fiat bestia ex homine, ita homo Dei esse et Domino fidelis esse desiit, qui adversus ecclesiasticam recalcitravit traditionem, et in humanarum haereseon desiluit opiniones. » Tertullianus, in opere *de Prescriptionibus*, totus est in dogmate traditionis propagando. Epiphanius, *Orat. III contra Eunom.* : « Sed et traditione quoque opus est; neque enim ex Scripturis peti possunt omnia. Idcirco alia scripto, traditione alia sanctissimi Apostoli reliquerunt. Quod ipsum ita Paulus affirmat : *Quemadmodum tradidi vobis*. » S. Hieronymus, *contra Luciferianos*, c. 4 : « Etiamsi Scripturæ authoritas non subasset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret; nam et multa alia quæ per traditionem in ecclesiæ observantur, authoritatem sibi scriptæ legis usurpaverunt. » Et sic unanimiter æstatum posteriorum doctores.]

*Prob. 3º ex factis*. Multa sunt fide divina credenda, quæ et ipsi haeretici credunt, quæ tamen non continentur expresse in Scriptura, sed sola traditione tenentur, ut quod Pater sit ingenitus, quod parvuli sint baptizandi, quod baptizati ab haereticis non sint rebaptizandi, quod Deipara ante et post partum manserit virgo, quod sint quatuor Evangelia, et non plura, etc. Hæc, inquam, et

multa alia fide divina creduntur in Ecclesia, hæc ipsi hæretici credunt, et tamen non continentur in Scriptura, sed ex sola traditione habentur; imo ipsorum principium, quod firmissime credunt, nihil esse recipiendum nisi in Scriptura expressum, non invenitur in Scriptura. Ergo, velint nolint, traditiones admittere coguntur.

*Confirmatur.* Unde sciunt hæretici Scripturam quam tantopere commendant, esse sacram et divinam? Non ex ipsa Scriptura, id namque non dicit, et si diceret, non magis teneremur illi credere quoad hoc, quam quoad alia, nisi prius aliunde nobis constaret quod sit divina; non est enim infallibilis, nisi quia divina. Ut ergo illi asserenti se esse divinam, credam, debet mihi prius aliunde constare quod sit divina, alioquin omni libro asserenti se esse a Deo, etiam ipsi Alcorano, tenerer credere, ut Scripturæ divinæ. Ex sola ergo traditione habetur quod hæc, et non alia Scriptura sit sacra et divina.

[*Obj. 4º:* Traditiones reprobantur in Scripturis. Ergo. — Prob. ant. *Deuter.*, iv, 2, dicitur: *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo.* *Matth.*, xv, 6: *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.* *Galat.*, i, 8: *Licet nos, aut angelus de cœlo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* *Apocal.*, xxii, 18: *Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto.*

*Resp.* Nego ant. Ad primum, Moyses prohibet aliquid verbo Dei addi prava interpretatione, illud corrumpendo, alterando, impugnando. Non autem prohibet addi aliud verbum Dei, sive scriptum, sive traditum; alioquin rejiciendi essent omnes libri canonici postea scripti. — Ad secundum, Christus reprobat traditions mere hamanas quibus falsi nominis doctores, sub specie interpretationis, legem Dei deturpabant, ut satis demonstratur ex ipsis verbis, *Matth.*, v, 43 et 44: *Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros.* Hæc verba: *Et odio habebis inimicum tuum,* ab his doctoribus fuerant

addita textui *Levit.*, xix, 18, quasi per contrarium consequentia. — Ad tertium, *præter*, in verbis Apostoli, sumitur pro contra, ut illud ejusdem, *Rom.*, xvi, 17: *Rogo autem vos, fratres, ut observetis eos qui dissensiones et offendicula præter doctrinam quam vos didicistis, faciunt; et declinante ab illis.* — Ad quartum, eadem est responsio, vel dicendum quod S. Joannes prohibet ne quid addatur libro suo quasi esset pars ejus.

*Obj. 2º:* Sufficit Scriptura. Ergo. — Prob. ant. Apostolus, *II Tim.*, vi, 15-17, dicit: *Ab infantia sacras litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem, per fidem quæ est in Christo Jesu. Omnis doctrina divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia: ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* Ergo.

*Resp.* Litteræ quas Timotheus didicerat ab infantia, erant Scripturæ veteres; tunc enim novum Testamentum nondum erat scriptum, vel saltem nondum completum. Poterant autem litteræ veteres instruere Timotheum initiative, non consummative. Addit Apostolus, omnem doctrinam divinitus inspiratam esse utilem ut perfectus sit homo Dei, et non dicit esse sufficientem. Sic pietas est utilis ut homo sit perfectus pastor in regimine Ecclesiæ Dei, at non sufficit.

Similiter intelligendi sunt textus SS. Patrum contra traditionem invocati, scilicet de traditionibus mere humanis et non legitimis.]

## ARTICULUS III

*De sanctis Patribus.*

[Antequam tractetur de regulis judicialibus fidei, nempe de Ecclesia, summo Pontifice et concilio generali, opportunum videtur non omnino præterire sanctos Patres, qui sunt testes fidei, et ad quorum consensum appellatur ad statuendum quænam ad traditionem ecclesiasticam pertinent, et ad quæstiones doctrinales dirimendas

Dico : Vita animæ confertur per fidem et baptismum. Vocantur ergo patres, qui vel per baptismum vel per institutionem alias vitam animæ conferunt. Sic patris nomen sibi vindicavit Apostolus Paulus, fidelibus quos spiritualliter genuerat scribens, I Cor., iv, 15 : *Non multos patres habetis. Nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui.* Patres itaque Ecclesiæ vocantur illi qui totam Ecclesiam scriptis suis illustrarunt, fidem firmando et propagando, quosque ipsa Ecclesia ceu tales suscipit et veneratur. Ad conservandam traditionem puram, nullum habetur aptius medium unanimi SS. Patrum consensione, horum scilicet sanctorum Ecclesiæ doctorum qui non uno eodemque tempore, nec uno eodemque in loco docuerunt. Si vel tantisper ratione utantur increduli, impossibile iis erit tantos hos viros de levissima fraude arguere, et catholici mirabuntur providentiam Dei, qua omni tempore fuerunt suscitati testes fidei insignes qui perfecte proprii ævi dogmata tenentes, omnia incorrupta in suis scriptis posteris tradiderunt.

Petes 1º quænam conditions requirantur ut aliquis scriptor ecclesiasticus Pater Ecclesiæ nuncupetur.

Resp. Requiruntur conditions sequentes : 1º Insignis doctrina, quia vi nominis et muneris docere debent universam Ecclesiam, quæ eos tamquam magistros habet. Porro hanc doctrinam non ut suam et propriam tradidierunt, sed eam ab Apostolis vel Apostolorum successoribus, quasi per manus traditam, ut loquitur synodus Vaticana, acceperunt, et sollicite custodierunt, et in scriptis suis consignarunt. Hinc nonnunquam plures eorum Patres apostolici vocantur, quatenus in ævo apostolico vitam degentes, Apostolorum doctrinam tenuerunt et prædicaverunt. 2º Requiritur, non modo ad finem usque communio cum Ecclesia catholica, sed etiam non communis sanctitas vitæ ; quia, ut sint vere patres spirituales, non solum scriptis, sed et virtutum præclaro exemplo alios debent ad vitam christianam instituere et ad salutem perducere. Si objiciuntur Tertullianus et Origenes, qui inter Patres computantur, quamvis in graves errores inci-

derint, respondendum est eos ut tales non haberi, nisi pro tempore quo catholicam doctrinam profitentes, sanctitate etiam erant conspicui. 3º Requiritur certa quædam antiquitas. Olim quidam episcopi sive presbyteri, haud adeo pridem defuncti, scientia et sanctitate illustres, mox inter Patres numerabantur, ubi primum in universa Ecclesia de eorum orthodoxa doctrina constituit. Hodie vero ita limitata est Patrum periodus, ut S. Bernardus anno 1153 vita functus ultimus eorum habeatur. Pluribus quidem S. Bonaventura et S. Thomas Aquinas visi sunt Patrum agmen claudere; sed communius tenetur ævum patristicum fuisse clausum ante scholasticam ætatem, cujus sunt illustriores doctores. 4º His accedit approbatio Ecclesiæ, quæ fit vel per concilium œcumenicum, vel per summum Pontificem, vel per consensum Ecclesiæ dispersæ. 5º Non requiritur in Patre dignitas episcopalis; nam S. Hieronymus erat presbyter, S. Ephremus erat diaconus, et S. Prosper Aquitanus probabilius in statu laicali remanserat.

Petes 2º quo jure aliqui scriptores ecclesiastici Doctoris titulo fuerint insigniti.

Resp. Ut doctores habentur ii quorum doctrina est præcellens et ab Ecclesia specialiter commendata. Unde ad Ecclesiam docentem tantum, et ordinarie ad summum Pontificem, pertinet hunc titulum authentice conferre. Doctorum ætas nullis restringitur limitibus, quia ob admirabilem sanctitatem et præcellentem doctrinam quocumque tempore viri præclari possunt ab Ecclesia doctores declarari. Pluries ergo contigit quod aliquis Ecclesiæ doctor fuerit proclamatus, quin propterea Pater extiterit, quia deerat antiquitas. Jam olim, secundum numerum Evangelistarum, quatuor magni doctores fuerunt agniti tum in Ecclesia orientali, tum in occidentali, nempe : in Oriente, SS. Athanasius, Basilius Magnus, Gregorius Nazianzenus et Joannes Chrysostomus ; in Occidente, SS. Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Gregorius Magnus. His eodem jure accenseri debent : SS. Leo Magnus, Petrus Chrysologus, Isidorus Hispanensis, Joannes Damascenus, Ansel-

mus, Bernardus, Thomas Aquinas et Bonaventura. Additi sunt a Pio IX, SS. Hilarius Pietaviensis, rogante ultimo concilio Burdigalensi, Alphonsus a Ligorio et Franciscus Salesius. Tandem Leo XIII jussit colli ut doctores in universa Ecclesia SS. Petrum Damianum et utrumque Cyrilum Alexandrinum et Hierosolymitanum.

*Potes 3º qua authoritate polleant Patres et Doctores in Ecclesia.*

*Resp. distinguendo.* Interdum Patres et Doctores traditionis monumenta exhibent, et ut doctrinæ quæ illorum tempore viguit testes scripserunt; interdum vero theologi ac doctoris partes sustinent, qui fidei articulos tuentur, doctrinam illustrant, ex propriis loquentes.

1º Quando se traditionis et fidei Ecclesiæ testes exhibent, et in rebus fidei et morum consentientes docent, autoritas eorum est infallibilis. Non ita tamen hoc est intelligendum, quasi vel seorsim vel simul sint infallibles; sed quia tunc magisterium Ecclesiæ repräsentant, docentes quod docet Ecclesiæ, quæ errare non potest. Si enim omnes Patres et Doctores, cum in aliqua sententia conveniunt, errarent, tota Ecclesia erra et, quippe quæ doctores suos sequi tenetur, et sequitur. Unde, cum aliqua doctrina est definienda, interrogantur Patres qui de ea scripserunt, ut per eos constet quid semper et ubique tenuerit Ecclesia.

2º Alter se res habet, quando consensus non est unanimis, vel de singulorum Patrum autoritate agitur, vel quando Patres theologorum munus suscipiunt. Certum est enim et evidens, nec sanctitatem nec eruditionem omne errandi periculum excludere, ut probant casus S. Cypriani de baptismo ab hæreticis collato, et aliorum de regno millenario opinio. Hinc sequentes regulæ sunt statuendæ: 1º Si Patres diversi diversa videantur sentire, concludendum est ex eorum autoritate non posse constare de hujusmodi doctrinæ veritate. Verum inde non sequitur veritatem aliunde erui non posse, vel non esse de hoc veritatem divinitus traditam; fieri enim potest ut, post dissensum inter aliquos doctores, deinceps, plenius

eliquata quæstione, perfectus consensus fuerit subsequetus. 2º Sufficit suffragium plurium, sed insignium Patrum, cæteris non reclamantibus, ad item dirimendam. Quod apparet ex praxi conciliorum, quæ in probandis dogmatibus hæresibusque damnandis decem vel duodecim Patres adduxisse fuerunt contenta. 3º Singulorum Patrum effata magnam quidem generatim habent in rebus fidei et morum autoritatem, imprimis eorum qui majori præ cæteris gaudebant sapientia; absolutum tamen argumentum præstare non valent. Hinc eos neque erroris expertes credere, neque in omnibus sequi tenemur, sed ubi graves id suadent rationes, debita cum reverentia eos deserere licet, et oppositam sequi sententiam. Imprudenter itaque is ageret, qui unum quemlibet SS. Patrum sibi legendum ita sumeret, ut quæcumque apud eum repiraret, hæc tamquam veritates certissimas et extra omnem controversiam positas prædicaret. Merito ergo Alexander VIII damnavit, 7 dec. 1690, hanc propositionem, n. 30: « Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere et docere, non resipiendio ad ullam Pontificis bullam. » 4º Eorum scripta majori pollent autoritatem, qui fidem Ecclesiæ tamquam duces contra hæresim propugnantes, aliquod fidei dogma præcipue defendendum suscepérunt. Statim enim ut novi errores prodibant, divina providentia dudum prædestinatos excitavit Patres, non tantum tuendæ veritatis amore, sed ingenii acumine præstantes et gratia Dei copiose illustratos, quos ideo in tali vel tali quæstione potissimum convenit audire et sequi. In exemplum sint, in materia gratiæ, S. Augustinus; de incarnatione, S. Cyrillus Alexandrinus et S. Leo Magnus. 5º Authoritas Patrum non extenditur ad scientias profanas artesque humanas; quia revelatio divina istas disciplinas non complectitur, et in hujusmodi rebus Patres plerumque authores profanos aut gentiles sunt secuti.]

## ARTICULUS IV

*De sacra liturgia.*

[Cum sacræ liturgiæ authoritatem dogmaticam expendimus, in quantum est traditionis ecclesiastice monumen-  
tum authenticum, attendendum est tantum ad liturgias  
legitimas, id est ab Ecclesia probatas. Fuerunt enim,  
præcipue in sæculo superiori et ineunte sæculo currente,  
præsertim in Galliis, novæ liturgie subrogatæ, vel ipsi  
liturgiæ Romanæ, vel antiquis liturgiis aliis quæ ab ipsa  
prima institutione a sede Apostolica approbatæ, vel a  
ducentis annis usitatæ, legitimæ fuerunt declaratæ a  
S. Pio V, in constit. *Quod a nobis.* Hæ recentiores liturgiæ  
contra jus introductæ, eo ipso omni autoritate desti-  
tuuntur. Cum insuper fuerint, ut plurimum, concinnatae  
a viris Romanæ Sedi plus minusve infensis, nedum  
genuina Ecclesiæ doctrina in eis sit inquirenda, plurima  
certe in eas consulto inserta sunt quæ singularia aut  
paradoxa, interdum etiam falsa apparent. Unde nullius  
momenti reputandæ sunt a theologo qui ex formulis  
cultus sacri antiquam fidem vult adstruere. Fauste ergo  
illæ novæ et illegitimæ liturgiæ, probante et hortante Sede  
Apostolica, ubique ab episcopis fuerunt abolitæ, liturgia  
Romana in ecclesiis Galliarum restituta, ita ut omnes,  
*idipsum sapientes in alterutrum secundum Jesum Christum,*  
*unanimes uno ore honorifcent Deum. Rom., xv, 5 et 6.*

Ex liturgiis vero seorsum sumptis eæ præferendæ sunt  
ad veram doctrinam asserendam, quæ nobiliori usu in  
Ecclesia receptæ sunt. Inter occidentales ecclesias primum  
locum obtinet liturgia Romana, deinde liturgia Gallicana  
antiqua et Hispanica, quæ vulgo Mozarabica nuncupatur,  
quibus adjungenda est Ambrosiana, quæ adhuc in ecclesiæ  
metropolitana Mediolanensi retinetur. Inter orientales  
principem locum sibi vindicat liturgia Jacobi, omnium  
antiquissima, quæque viguit penes plerasque ecclesias  
orientales, et nunc etiam in pluribus servatur. Post eam

veniunt liturgiæ Græcæ quæ a SS. Cyrillo, Basilio, Chrysos-  
tomo nomen habent, ac liturgia Armena.

Dico : Maximi facienda est authoritas liturgiæ, eaque  
habenda est ut testis irrefragabilis traditionis et Ecclesiæ  
fidei.

Prob. 1º authoritatibus. S. Cœlestinus Papa, ad episco-  
pos Galliarum scribens contra errore Pelagianorum, dicit,  
epist. xxi : « Præter has autem beatissimæ et Apostolicæ  
Sedis inviolabiles sanctiones, quibus nos piissimi patres,  
pestiferæ novitatis elatione dejecta, et bonæ voluntatis  
exordia et incrementa probabilium studiorum, et in eis  
usque in finem perseverantiam ad Christi gratiam referre  
docuerunt, obsecrationum quoque sacerdotalium sacra-  
menta respiciamus, quæ ab Apostolis tradita in toto  
mundo, atque in omni Ecclesia catholica uniformiter  
celebrantur, ut legem credendi statuat lex supplicandi. »  
Quid expressius? Augustinus, epist. 217<sup>1</sup>, ad Vitalem  
Pelagianismi fautorem, c. 4, n. 2 : « Exsere contra  
orationes Ecclesiæ disputationes tuas, et quando audis  
sacerdotem Dei ad altare exhortantem populum Dei orare  
pro incredulis, ut eos Deus convertat ad fidem, et pro  
catechumenis, ut eis desiderium regenerationis inspiret,  
et pro fidelibus, ut in eo quod esse cœperunt ejus munere  
perseverent; subsanna pias voces, et dic te non facere  
quod hortatur, id est, Deum pro infidelibus, ut eos  
fideles faciat, non rogare, eo quod non sint ista divinæ  
miserationis beneficia, sed humanæ officia voluntatis. »  
Probare intendit S. Doctor ex precibus liturgicis Ecclesiæ,  
initium fidei esse donum Dei. Idem, *de Dono perseverantiae*,  
c. 23, n. 63 : « Utinam tardi corde et infirmi, qui non  
possunt vel nondum possunt Scripturas vel earum expo-  
sitiones intelligere, sic audirent vel non audirent in hac  
quaestione disputationes nostras, ut magis intuerentur  
orationes suas, quas semper habuit et habebit Ecclesia  
ab exordiis suis, donec finiatur hoc sæculum ! » Demons-

1. Olim 107.

trat hic pariter ex orationibus publicis Ecclesiæ perseverantiam finalem esse donum Dei gratuitum.

*Prob.* 2º ex natura et fine liturgie. Ordinatur enim liturgia ad cultum publicum Deo exhibendum, et ad sanctificationem animarum per supplications, sacrificium et sacramentorum administrationem procurandam. Porro in cultu divino includitur honor præstandus sanctis, quos gratia sua sanctificatos nobis Deus in exemplum et præsidium collocavit, ut dicitur in oratione festi S. Gulielmi. Atqui vix aliquod dogma fidei est ex iis quæ catholica profitetur Ecclesia, quod formulæ liturgicæ non attestantur.

1º Quoad veritates credendas, in sua liturgia Ecclesia aperte profitetur dogmata Trinitatis, divinitatis Verbi et Spiritus sancti, divinitatis Christi, veritatis incarnationis et redemptionis ex eo secutæ, Deiparæ non solum virginitatis, sed et integratatis in partu, S. Petri Romanique Pontificis primatus, infallibilitatis Ecclesiæ, supereminentiæ episcoporum supra presbyteros, gratiæ necessitatis, peccati originalis propagationis, sacrificii incuranti, realis Christi in Eucharistia præsentiae, transsubstantiationis, purgatori demum et cultus invocationis sanctorum.

2º Sacramentorum administratio est quotidiana. Ex ea igitur testimonium publicum, constans et universale eruitur circa eorumdem sacramentorum numerum, efficaciam, speciales effectus et dispositiones ad ea rite suscipienda requisitas. Cum autem ex omnibus deprehendamus græcorum orientaliumque ecclesiarum euchologiis, atque ex occidentalium seu latinorum ritualibus ac sacramentariis, septem ubique, quovis tempore, fuisse sacramenta collata, nonne audacie, nonne etiam dementia arguuntur Protestantes, qui ea ad quatuor terve, postremo ad duo redegerunt? Idem dicendum de gratia quam per ea conferri omnia illa documenta pariter testantur, de effectibus qui tribus ex iis tribuuntur circa characterem, de infantium baptisme, de exorcismorum usu, quo Pelagianos jam ætate sua Augustinus premebat, de conscientiæ puritate ad sacram synaxim afferenda, de confessionis auricularis usu, aliisque similibus.

3º Quod vero ad religiosum cultum spectat, quænam fuerit primitivæ Ecclesiæ doctrinæ exinde deprehenditur circa sanctorum venerationem, cum videamus institutos festos dies, celebrata jejunia ad sanctorum memorias recolendas vel ab ipsis Ecclesiæ incunabulis; circa reliquiarum et imaginum venerationem; circa aquam lustralem, quam Protestantes rejiciunt et despiciunt, aliaque permulta, que sin minus dogmata attingunt, plurimum tamen valent ad liberandam Romanam Ecclesiam a toties in eam impacta calumnia de turpi superstitione.

Cum vero de religioso disseritur cultu, de eo agitur qui in Ecclesia universa receptum est, non autem de peculiariis qui singulis in ecclesiis usui fuerunt traditi, quamquam valorem partiale habere possint, sive ad consensum cum universalis Ecclesia probandum, sive ad evincendum antiquitatem et nobilitatem ecclesiarum in quibus observari consueverunt<sup>1</sup>.

Adnumerantur etiam inter media seu generalia seu singularia quibus antiqua traditio catholica determinari potest, historia ecclesiastica, veterum monumentorum christianorum reliquæ, epigraphia, priscorum et recentiorum hæreticorum scripta, in quantum catholico dogmati opponuntur. De his quidem in fusoribus theologicis operibus opportune tractatur, sed a nobis, utpote strictioribus limitibus coarctatis, sunt prætermittenda.]

1. Perrone, *Prælect. theol.*, *De tradit.*, c. 2, § 4.